

*finita perfecta.* Notio secunda est hujus loci; & definitur genere, relatione, fundamento & termino:

Ut, Prædicamentum est notio secunda logica, disponens & distinguens res omnes per certos ordines ordinisque gradus.

Figmentum congruum est, quod à poëtis excogitatum est ad similitudinem verarum rerum, idque delectationis & commovendi affectus gratiâ: & describitur ex genere, materiali, formali, fine, & propriis.

Genus quidem invenitur, si illud figmentum reducatur ad prædicamentum, in quo est ens, cujus similitudo est in illo figmento. Materiale ejus plerumque est collectivum quid. Formale est figmenti significatio, seu ipsa relatio. e. g. Sirenes sunt monstra marina, partim humano, partim piscino corpore prædita, quæ adeo molliter cecinerunt, ut nautas præternavigantes ad se pellicere & in extremum dare exitium potuerint, quibus repræsentare voluerunt præsci poëtæ naturam voluptatis. Sunt tamen, qui scribunt Sirenes reverâ esse entia in naturâ.

Privatio hîc intelligitur destructiva, & definitur genere, habitu, objecto & causâ efficiente:

Ut, Cæcitas est privatio visus immissa homini à Deo propter peccatum. Vel etiam simpliciter per oppositum defini potest istiusmodi privatio: ut, Cæcitas est privatio visus; Paupertas est privatio divitiarum.

Satis de definitione, instrumento illo Logico facile palmario. Nunc methodum hujus libri brevi tabulâ completamur.